



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 42. S. Paulus Ephesi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

& Priscilla eum audivissent, melius instru-
xere, & volentem proficisci in Achajam,
scripta epistola fratribus commendarunt,
venit ergo Corinthum, ibi Fideles con-
firmans, & convincens Judæos, utiliter
verbo Dei serviebat.

Sæculum I.
A. C. 50.

§. XLII.

S. Paulus Ephesi.

Cum Apollo esset Corinthi, S. Paulus
Ephesum venit, postquam superio-
res Asiæ minoris partes peragrasset. Ibi
Discipulos numero duodecim invenit,
qui nesciebant Spiritum S., sed tantum
Baptismo Joannis baptizati erant. Hos
baptizari curavit in Nomine Domini JE-
su. Tunc imposuit eis manus, & Spiri-
tus S. venit super eos, ita ut loquerentur
varias linguas, & prophetizarent. Ite-
rum dignoscuntur hic, sicut in conver-
sione Samariæ, duo distincta Sacramenta;
Baptismus, qui etiam ab aliis administra-
tur, nimirum a Presbyteris, aut Diaco-
nis, & impositio manuum, ut reciperetur
Spiritus S. id est, Confirmatio, quæ non
nisi ab Apostolis ipsis, & eorum Succes-
soribus Episcopis tribui potest. Tribus
mensibus ibi Paulus Synagogam intrabat,
audacter evangelizans; cum vero inter
illos essent Judæi indurati, qui publice
Doctrinam Domini blasphemabant, iis
relictis,

Act. 19.

sup. n. 7.

Act. 19. 8.

G 5

relictis,

Sæculum I. relictis, segregavit Christianos. Cum
 A. C. 50. que antea tantum diebus Sabbati in Synagoga docuisset, abhinc singulis diebus evangelizabat in Schola cujusdam nomine Tyranni. Id duobus annis ab ipso factum, ita ut omnibus, qui in Asia habitabant, Judæis, & Gentilibus notum fieret Evangelium.

Act. 20. 31. Tres circiter annos S. Paulus Ephesi instituendis, & admonendis Fidelibus die noctuque cum lachrymis publice, & per domos exegit. A nemine quidquam accipiebat, sed labore manuum suarum sibi, & sociis necessaria subministrabat; exemplum præbens animi nullum com-
Act. 19. 11. modum quærentis. Multas persecutiones, & insidias Judæorum passus, homines oppugnans indomitis feris ferociores.

1. Cor. 15. 32. Simul his ingentia edebat prodigia, ut etiam sudaria, & cingula, quæ tetigerat, morbos curarent, & ejicerent Dæmones.

Jos. VIII. ant. c. 2. pag. 257. Orig. tr. 35. in Matth. 27. 63. Erant quidam Judæorum per orbem vagi, quos Exorcistas dicebant, qui se Dæmones invocationibus ejicere, & hanc scientiam ex Doctrina Salomonis hausisse jactitabant, & inter hos septem fratres Scevæ Pontificis filii. Cum duobus ex illis in mentem venisset, quemdam Dæmoniacum in Nomine Jesu, quem prædicabat Paulus adjurare; ait Spiritus malignus: *Jesum novi, & Paulum scio, vos autem, qui estis? &c.* Simul Energumenus

nus irruit in eos, & viribus prævalens, ita mulctavit, ut nudi, & vulnerati domo fugerent.

Sæculum I.
A. C. 54.

Hoc factum omnibus Judæis, & Gentilibus Ephesi cognitum, in Gloriam Nominis Domini cessit. Multi Fideles veniebant, confitentes peccata sua. Ecce! notabile confessionis exemplum post baptismum. Multi, quibus vanæ curiositatis studium fuerat, comportatos libros coram omnibus in ignem coniecere, quorum valor æstimatus, ad quinquaginta drachmarum millia ascendit; quæ summa nostræ monetæ comparata plusquam quindecim librarum millibus æquivaleret. Libri Magici fuisse creduntur, nam Ephesiorum olim litteræ mysticæ erant celeberrimæ.

15750. libræ,
ad octo esse:
drachma.

Hesych. Eph.
litt. Clem.
Alex. 5.
strom.

§. XLIII.

Claudii obitus. Nero Cæsar.

Claudius Imperator anno Regni tertio decimo Agrippæ juniore Regi Judæorum Tetrarchiam Philippis, & Bataneam regendam tradidit, cum Trachonitide, & Abila, quæ fuerat Tetrarchia Lyfania, ablata eidem Calcidia, quam quatuor annis possederat. Anno sequenti, Jesu Christi quinquagesimo quarto, Asinio Marcello, & Acilio Aviola consulibus, obiit Imperator Claudius ex veneno ab uxore Agrippina

Jos. XX.
ant. c. 20.
p. 693.

A. C. 54.

Suet. Claud.
n. 44.

Dio lib. 60.